

Sardiniae indultum recitandi officium s. Sindonis in qualibet fer. 6. a festo dupl. vel semidupl. non impedita et specialiter in quadrag., ad tollendas dissensiones Magister caeremon. Fos-sanen. supplicavit, quatenus benigne declarari dignaretur: an dictum officium recitari debeat solum in quadrag. vel indistincte in aliis feriis adventus, vigiliarum, quatuor temp.? S. C. resp.: Suffragari indultum pro VI. feriis quadragesimae tantum. N. 4115 die 8. Julii 1741.

### SINENSES.

Vd.: *Ritus Sinarum.*

### SODALITAS.

Cf.: *Confraternitas; Oratorium; Titularis capellar. publ.*

### SOLEMNITAS.

#### 1) SS. Corp. Chr.

Vd.: *Processio SS. Corp. Chr.; Festum ss. Corp. Chr.*

#### 2) Initium.

Festivitatum exordia a primis vesperis et respective a missa, quae canitur in Sabbato sancto desumenda esse prosequitur *Hurtad.*: *Incipiunt autem singuli dies festivi a primis vesperis quia inde incipiunt eorum solemnitates quoad celebrationem exceptis festivitibus Resurrectionis et Pentecostes quae incipiunt a missa vigiliae, quia in earum vigiliis missa per anticipationem fit de ipsis festivitibus; finiuntur autem festivitates singulorum dierum in completorio inclusive. Diana Concil. tom. 5. tract. 4. n. 3. ibi: Notandum haec festa accipienda esse a primis vesperis juxta morem quo ecclesia solet festivitates inchoare. Adde festum Paschatis posse sumi a Sabbato a Gloria in Excelsis sacri diei Sabbati, quia ecclesia censetur*

*tunc inchoare festum Resurrectionis, non tamen comprehenduntur octavae.*

(Ex resol. S. C. C. diei 9. Julii 1785. *Romana.*)

Ecclesiasticas celebritates incipit dies a praecedentibus vesperis ex doctrina *divi Thomae*, quam sequuntur *Azor instit. moral. lib. 10. cap. 9. qu. 5. tom. 1., Francol. de hor. canon. cap. 19. n. 1., Ceccoper. lucubr. canon. lib. 2. sub n. 18.*; hoc tamen limitatur in Cathedralibus et Collegiatis, in quibus praescribit *Clement. I. de celebr. miss., ut debitibus horis psallatur seu circa mediam noctem, secundum Vega in summ. verb. horae n. 1. et Ceccoper. lucubr. canon. lib. 2. n. 19.*

(Ex resol. S. C. C. diei 23. Januarii 1790. *Abulen.*)

Rigida veterum temperata disciplina translata est matutini recitatio a media nocte ad auroram teste *Benedicto XIV. instit. 107. §. 4. sub n. 10.*, facileque immutari non debet hujusmodi institutio in Cathedralibus et Collegiatis, in quibus ex *Clement. I. de celebrat. miss. necesse est, ut debitibus horis psallatur, ut recitetur nempe matutinum mane diei propriae, non autem sero praecedenti post vespas et completorium, ad monitum Braschii in prompt. Synod. cap. 86. n. 15.* Ubi justa tamen et rationabilis concurrat causa, opportunior ex auctoritate S. Congregationis fieri potest variatio, ut prosequitur *Brasch. loc. cit. n. 18* ac prae caeteris tradunt *Ceccoper. lucubr. canon. lib. 2. n. 20. et Benedict. XIV. instit. 107. §. 4. n. 22.*

(Ex resol. S. C. C. diei 19. Junii 1790. *Firmana.*)

Dies quoad divinum officium aliasque ecclesiasticas celebritates a praecedentibus incipit vesperis, *Azor instit. moral. lib. 10. cap. 9. quaest. 5. tom. 1., Francol. de hor. canon. cap. 19.*

tom. 1., *Ceccoper. lucubr. canon. lib. 2. sub n. 18.*

(Ex resol. S. C. C. diei 10. Maii 1794. *Parmen.*)

#### 3) Paschalis et Nativit. Dom.

Sacerdos Joannes Fornici, possessor canonicatus Amidei in collegiata Ecclesia s. Eustachii de urbe, ex verbis illis fundatoris: *Quanto alle funzioni, ed obblighi del Coro, voglio, che il medesimo Canonico ne sia esente, e soltanto possa obbligarsi ad intervenire nelle solemnita del SS. Natale, di Pasqua, e di s. Eustachio, sex in Congregatione diei 9. Julii 1784 disputavit dubia. Secundum, de quo agitur, ita erat conceptum: An sub nomine solemnitatum ss. Natalis et Paschatis comprehendantur illi tres et respective duo. dies, qui primum consequuntur et interessentia incipere debeat a primis vesperis solemnitatum in testamento praescriptarum et Sabbato sancto? Ac EE. vestrae rescripserunt: *Affirmative ad primam partem quoad duos dies consequentes festum Paschatis, quo vero ad dies consequentes festum Natalis, negative ad primam partem, et quoad secundam partem affirmative.* Huic igitur acquiescens rescripto in ejus declarationem postulat Canonico, num priorum vesperarum nomine veniat Sabbati s. missa et integrum etiam illius diei servitium?*

Ex ore Emmi Diaconi de Alteriis Capitulum censet, cogendum non esse oratorem ad interessendum sacris functionibus Sabbati sancti, quae nil commune habent cum festo Paschali. Haec autem Emmus ipse Diaconus habet: *Intimius re perspecta, statuendum videtur, in die Sabbati sancti interessentiam incipere debere vel ab initio missae solemnissae vigiliae, quae per anticipationem de Paschatis festivitate*

*celebratur, prout tradit Hurtad. de interdict. differ. 7. n. 24., ibi: „Incipiunt singuli dies festivi a primis vesperis, quia inde incipiunt eorum solemnitates quoad celebrationem, exceptis festivitibus Resurrectionis et Pentecostis, quae incipiunt a missa vigiliae, quia in earum vigiliis missa per anticipationem fit de ipsis festivitibus“; vel saltem a Gloria in excelsis, ejusdem missae solemnissae, quia tunc Ecclesia festum Resurrectionis inchoat gaudiumque solemnitatis per sonitum tintinnabulorum evulgat, quemadmodum expendit Diana Concil. tom. 5. tract. 4. n. 3. Atque hinc notat quod: in alterutro ex praemissis interessentiae actibus submotae remanent populi admiratio atque etiam obrectatio, ubi Canonico ejusque successores ad chorum accederent dum finem habet missae solemnissae celebratio; ac vicissim satisfactum videtur testatoris voluntati, quae interessentiam Canonico praescripsit nella solemnita del SS. Natale, di Pasqua etc., quae quidem verba latiore exigunt interpretationem.*

Praeter missam solemnem aliae plures in Sabbato sancto celebrantur functiones a sequenti Paschatis solemnitate distinctae, ut notum prospectumque est et observat *Benedictus XIV. de fest. D. N. Jesu Christi lib. 1. cap. 8. n. 1., ibi: Hoc die (Sabbati sancti) sacram illam et mysterium plenam Christi quietem in sepulchro ejusque descensum ad inferos seu statum illum Jesu Christi, quamdiu Anima a corpore fuit sejuncta, recolat Ecclesia. Sed ex ea, quae viget disciplina, sacrae complures aliae hoc Sabbato peraguntur caeremoniae, quae Resurrectionem domini respiciunt et ipsa missa hac die celebratur de Resurrectione. Resumpto igitur folio diei 9. Julii 1785 deliberare dignentur Emi Patres:*

An sub primis vesperis Paschatis comprehendi debeat missa solennis Sabbati sancti et omnes etiam ejusdem diei functiones, in casu?

S.C.C. resp.: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Die 23. Jan. et 27. Febr. 1790.

#### 4) Pontificalis.

(Quae est?)

Vd.: *Episcop.*; *Pontificalia*; *Suffragan.*; *Dignitas Cath. (d.)*; *Titularis Episc. (C.)*; *Vesperae pontif.*

Eminentissimi et Reverendissimi Patres.

1. In cathedrali Ecclesia Nicoterensi inter dignitates et canonicos exorta est controversia quoad numerum pontificalium Functionum, scilicet missarum et vesperarum, quae impedito vel absente Episcopo a prima dignitate celebrandae sunt. Adsunt enim, qui putant innixi decreto hujus S. Congregationis lato die 3. Decembris 1672 in Andrien. inter ipsas functiones esse pariter accensendam missam omnium fidelium defunctorum diei commemorationis eorundem, atque etiam officium feriae sextae in parasceve: adsunt et alii, qui oppositum tuentur nonnulla alia decreta sui favore afferentes. In hac opinionum discrepantia Rmms Episcopus Nicoterensis et Tropiensis, ut omnia secundum ordinem fiant, sui muneris esse duxit hanc S. Congregationem consulere, eique per supplicem libellum, quem Eminentissimo Cardinali Praefecto porrexit, duo dubia proposuit per ejusdem oraculum resolvenda. Super iis vir clarissimus, qui est sacri ordinis vestri a secretis, in mandatis mihi dedit, ut meam sententiam scriptis ostenderem. Obsequens, ut par est, prompto animo opus suscipio, votumque meum, quaecumque tandem sit, sa-

piantissimo EE. VV. Consilio libentissime submitto.

Dubia autem haec sunt:

#### Dubium Primum.

An, praecisa consuetudine, inter functiones pontificales, quae absente vel impedito Episcopo spectant ad primam dignitatem, sint etiam accensendae commemoratio fidelium defunctorum et officium feriae sextae in Parasceve?

#### Dubium Secundum.

An functiones pontificales praememoratae sunt illae tantum, quae recensentur cap. 1. et 34. libri II. Caeremonialis Episcoporum, prout ex declarationibus S. Rit. Congr. diei 7. Aprilis 1696 et 22. Junii 1697 in Abellinen. et diei 7. Decembris 1771 Hydruntina praeeminentiarum n. 9 clarissime eruitur: vel potius illae omnes, quae in una Adrien. diei 3. Decembris 1672 nominatim designantur?

2. Ex ista dubiorum expositione apertissime patet totam quaestionem ad hoc reduci, ut dignoscatur, inter dies, quibus conveniat ut adsit missa pontificalis, sint pariter adnumerandi tum dies commemorationis omnium fidelium defunctorum tum alter feriae sextae in parasceve: ita ut vice Episcopi absentis vel impediti ad primam dignitatem celebrare pertineat.

3. Cum ego meam proferre debeam sententiam hac super re asserere non dubito praememoratos duos dies a functionibus episcopalibus esse excludendos, id sane eruitur ex libro caeremoniali Episcoporum, qui in describendis missis, ad quas pontificali ritu decantandas Episcopus quodammodo tenetur, silet omnino de die generalis commemorationis defunctorum: silet pariter de feria sexta in parasceve. Haec autem sunt ejus verba,

quae in cap. 34. lib. 2. §. 2. leguntur: „Celebrare igitur poterit Episcopus, nisi legitime fuerit impeditus, in die nativitatis D. N. Jesu Christi, in festo Epiphaniae domini, feria quinta in coena domini, in dominica resurrectionis, in die ascensionis, in dominica pentecostes, in festivitibus annunciationis et assumptionis B. M. V., in festo beatorum apostolorum Petri et Pauli, in festo omnium sanctorum, in festo sancti titularis Ecclesiae et Patroni, in die anniversario dedicationis cathedralis Ecclesiae vel etiam arbitrio suo in aliis festivitibus per annum etc.“ Profecto regula servanda ab Ecclesiis cathedralibus in suis functionibus desumi semper debet ex libro caeremoniali Episcoporum. Cum autem ex allato textu constet supradictos duos dies nominatim designatos non esse inter illos, qui pontificale officium simul important, nulla justa ratio afferri posse videtur, qua praedicti duo dies adjungi debeant.

4. Quapropter istam Caeremonialis regulam sequendo haec S. Rituum Congregatio saepius interrogata super numero singulorum dierum, quibus decet, ut locum habeat Episcopi missa, quae eo absente aut impedito a prima dignitate decantanda sit, ad formam Caeremonialis tales dies exigendos esse respondit. Ita siquidem in Regien. 24. Martii 1653 cum quaesitum fuerit: an missae SS. Sacramenti in die Corporis Christi et Assumptionis B. M. V. enumerari debeant inter episcopales? declaravit: attendendam et servandam esse dispositionem Caeremonialis. Sic etiam in Civitaten. seu s. Severi 25. Junii 1611 statuit functiones, quas Episcopus praesens in sua cathedrali Ecclesia facere solet aut debet juxta formam libri caeremonialis Episcoporum, eo absente ad primam dignitatem pertinere. Quod magis patet in aliis decretis, in quibus, dum praescribitur servanda regula Caeremonialis, supra-

dictum caput trigesimum quartum libri secundi praecise assignatur. Ita videre est in Abellina 7. Aprilis 1696, cum favore Archidiaconi Ecclesiae cathedralis decretum fuit, ut loco Episcopi impediti ipse utpote prima dignitas solemniter celebrare valeat in omnibus festis expressis in caeremoniali Episcoporum libro secundo capite trigesimo quarto; quod confirmatum pariter fuit die 22. Junii 1697, cum ab eodem Archidiacono interrogata haec S. Rit. Congregatio: an celebrare posset pro suo arbitrio etiam in aliis festis non enunciatis in memorato Caeremonialis capite, negative respondit quoad alia festa non expressa in Caeremoniali. Tandem, ut cetera omittam, quae hac super re adduci possunt decreta, sufficit illud afferre, quod datum fuit in una Hydruntina praeeminentiarum die 7. Decembris 1771 ad 9. dubium; autem hoc erat: „An absente vel impedito Archiepiscopo functiones ab eo peragenda competant Archidiacono et quae sint eadem functiones in casu etc.“ Et S. Rituum Congregatio respondit: Affirmative juxta numerum solemnitatum praescriptarum in caeremoniali Episcoporum et amplius.

5. Cum itaque neque ex Caeremoniali Episcoporum neque ex hujus Congregationis decretis ad ejusdem libri formam latis aliquid deduci possit, quo demonstrari valeat praedictos duos dies inter pontificales functiones jure esse adnumerandos, illorum puto amplectendam esse sententiam, qua eos dies a Pontificalium numero expungere voluit.

6. Neque hoc Caeremonialis silentium quoad casum ulla ratione carere mihi videtur. Quamvis enim ex liturgicis libris simplices leges assignantibus non semper detur dignoscere causas, propter quas haec et illa caeremonia seu etiam tota sacra actio statuta sit, tamen ex contextu libri caeremonialis Episcoporum desumi posse mihi vide-

tur ratio, ob quam memorati duo dies praetermittendi sunt. Sane si pervolvuntur ea omnia Caeremonialis capita, ubi incidit sermo de functionibus pontificalibus, colligitur eas solum peragendas esse quando sacrae solemnitates, festivi, solemnes, imo solemniores dies recurrunt. Loquens enim lib. 1. cap. 12. de Ecclesiae ornatu splendidiorum apparatus praescribit pro diebus festivis „eoque magis quo dies festivi erunt solemniores“ et postquam omnia descripserit, quae praecipue pro missa pontificali praeparanda sunt, concludit n. 21.: „Haec, ut diximus, observanda erunt in solemnioribus Ecclesiae festivitatibus ac celebrante Episcopo; sacras solemnitates appellat eos dies, quibus per Episcopum vespere solemniter persolvuntur.“ Ita lib. 2. cap. 1. §. 1. et 2. legitur: „Sacrae solemnitates regulariter a primis vespere initium sumunt... Si ergo Episcopus erit solemniter... celebraturus... quod praecipue in iis vigiliis observari solet, videlicet nativitatis domini etc.“

„Festivos pariter et solemnes vocat eosdem dies lib. 1. cap. 15. §. 6. dicens: „Si fuerit festus solemnisque dies et ipsemet Episcopus vespere sit celebraturus etc.“ Quibus consonat jam supralaudatum caput 34 libri secundi, ubi dum singillatim enumerat missas et vespere pontificales toto anni decursu faciendas, dies, quibus istae recurrunt, festivitatibus, festorum, solemnitatum nomine decorantur. Ubi est advertendum talia verba stricto sensu prorsus accipi debere, quatenus scilicet solemnitas aut festivitas, sive intrinseca nempe quoad ritum sive extrinseca idest quoad pompam et apparatus, perfecte absoluta intelligatur. Jam vero nec generalis commemoratio defunctorum nec feria sexta in parasceve huiusmodi solemnitatis titulo cohonestari possunt. Non prima: quia ritum duplicem non excedit et in ea,

uti loquitur Durandus lib. 7., omnia laudis cantica subdicentur et solemnitates omnes subtrahuntur: non etiam secunda, quae etsi diei singularitatem ritum duplicem primae classis retineat, cum tamen acerbissimum Ecclesiae luctum ac tristitiam repraesentet in morte Domini, quidquid externae solemnitatis est omnino deponit. Ex defectu igitur absolutae solemnitatis ratio deduci videtur, qua juxta Caeremoniale praedicti duo dies inter episcopales non adnumerantur.

7. Hoc pariter melius apparet ex quo Caeremoniale diverso loquendi modo utitur cum describit functiones episcopales in solemnibus festivitatibus ac cum easdem exponit in praememoratis duobus diebus, qui vere solemnes dici non possunt. In primo siquidem casu aperte declarat conveniens esse excepto legitimo impedimento, ut Episcopus celebret, sicuti ex supra relato cap. 34. lib. 2. §. 2. et pro festo Epiphaniae etiam clarius innuit quod „in ipso die Epiphaniae deberet ipse celebrare si poterit, quod valde conveniens esset“ (lib. 2. cap. 15. §. 3.); in secundo autem relinquit simpliciter Episcopi voluntati pontificalia peragere: „Si velit Episcopus celebrare die anniversario defunctorum etc.“ (lib. 2. cap. 11. §. 1.): „Si Episcopus velit ipse celebrare in die Parasceve.“

8. Ubi pariter silentio praetermittendum non est, quod dum ex libri caeremonialis regulis, quoties rem divinam facturus est Episcopus, dignior ex praesbyteris sive dignitatibus sive canonicis assistere debet in officio Presbyteri assistentis: „Dignior est Presbyter assistens et idcirco debet esse dignior ex praesbyteris, tam canonicis quam dignitatibus, qui in choro cum aliis sedere solent: nec refert quo nomine nuncupetur, an Archidiaconus, an Archipresbyter: sed atten-

ditur, ut sit dignior omnino ex omnibus“ (lib. 1. cap. 7. §. 1.); ex quo desumi posse videtur causa, ob quam Episcopo absente aut impedito talis dignior suppleri jus acquirat: e contra feria sexta in Parasceve non digniori sed Canonico eidem proximo assistentia tribuitur: „Canonicus Praesbyter digniori Presbytero proximus servit hac die Episcopo in assistentia cum plurali nigro“ (lib. 2. cap. 25. §. 7.) ad indicandum scilicet, quod cum ea die ab Episcopi voluntate unice dependeat per se celebrare, in casu quod id non faciat, inferri potest non ad digniorem seu primam dignitatem sed ad proximiorum aut simplicem canonicum id spectare. Ex hoc inde procedit usus vigens in hac alma urbe, cuius uti magistrae exemplum in huiusmodi materia ceterae quoque civitates merito sectantur, ubi si solummodo excipias Patriarchalem Lateranensem, in qua prima vice hoc anno Praesantificationum actio per Episcopum simplicem canonicum, non vero Capituli dignitatem, peracta est, atque etiam Vaticanam ab antiqua consuetudine, in ceteris Ecclesiis nunquam a dignitatibus aut saltem a prima ex iisdem exequi solet; dum e contra die praecedenti feria quinta in coena Domini, quae in Caeremoniali inter episcopales adscribitur, in omnibus urbis Ecclesiis per primam dignitatem, idest sive per Archipresbyterum sive per Decanum aut Priorem sive per Abbatem aut Generalem aut loci Superiorem solemnem sacrum peragitur.

9. Ex quibus omnibus apertissime dignoscitur quam recte loquantur qui ita sentiunt, et quam a vero aberrant, qui oppositum tenentes appellant ad unicum decretum, quod illas functiones inter episcopales enumerat ac proinde in casu impedimenti primae dignitati attribuit. Illorum enim sententiae, ut vidimus, favet liber caeremonialis Epis-

coporum eos dies reticens e numero Pontificalium aut suo loquendi modo non admittens, consonant nonnulla huius S. Congregationis decreta ad tramites Caeremonialis edita, respondet tandem usus Ecclesiarum urbis: Isti autem solummodo pro se referunt illud decretum, quo tamen ex sequenti observatione nec eis favere patebit.

10. Praeterquam quod enim dici primitus posset decretum istud latum die 3. Decembris 1672 non amplius vigere ob sequentes declarationes editas super eodem objecto 7. Aprilis 1696, 22. Junii 1697 et 7. Decembris 1771 ac supra relatam n. 4., cum posteriora decreta derogent prioribus, est tamen praecipue considerandum, quod illa resolutio, quam hic referre opportunum erit, sive ex dispositiva narratione sive ex aliis circumstantiis non generalem sed prorsus specialem regulam constituere demonstrat. Ita enim sic se habet decretum illud Andrien.: Proposita per Emmum D. Cardinalem Gualterium in S. Rit. Congr. habita die 28. Februarii 1671 controversia inter Carolum Capellanum Archidiaconum primam dignitatem et Antonium del Cantore Archipresbyterum secundam dignitatem Andrien. super eo, ad quem spectent, absente vel impedito Episcopo, functiones pontificales facere et celebrare ac vespere decantare? et resoluta ad favorem dicti Archidiaconi, modo eadem S. Congr. ad tollendas differentias et ad conservandam pacem referente eodem Emmo Gualterio declaravit: „Functiones pontificales esse festum Nativitatis Domini, Epiphaniae, Ascensionis, Pentecostes, Apostolorum Petri et Pauli, Assumptionis B. M. V., omnium Sanctorum, dedicationis Ecclesiae, Patroni civitatis necnon commemorationem omnium defunctorum, distributionem candelarum, cinerum, palmarum, celebrationem officii feriae V. in coena Domini, feriae VI. in Paras-

ceve, festum Paschatis Resurrectionis D. N. Jesu Christi, diem solemnem corporis Christi cum processione. Ex quibus verbis patet tale decretum ideo locum habuisse, ut tollerentur differentiae et servaretur pax inter duas illas dignitates Andriensis Ecclesiae, dum quaelibet sibi jus contendebat supplendi in functionibus ibi descriptis, ab illius Ecclesiae Episcopo peragi solitis. Quod clarius etiam dignoscitur ex antecedenti responsione diei 28. Februarii 1671, in hoc eodem decreto citata, ubi favore Archidiaconi primae dignitatis eadem S. Rit. Congr. rescripsit ad ipsum spectare functiones omnes ab Episcopo peragi solitas, id est quas quilibet Episcopus in Cathedrali ex particulari praxi quotannis celebrat. Insuper specialis haec lex evidentius apparet ex dierum pontificalium descriptione, quae ibi refertur. Sane in eorum numero deest festum Annunciationis B. M. V. cum Sabbato sancto, quae habentur in laudato cap. 34. lib. 2. caeremonialis Episcoporum, de quibus et praecipue de Annunciatione statuitur quomodo vesperae pontificales ordinandae sint (ibi §. 2. et 3.), additur e contra generale anniversarium mortuorum et feria sexta in Parasceve, de quibus silet Caeremoniale. Itaque decretum hujusmodi non continet nisi particularem dispositionem pro Ecclesia Andriensi fundatam in consuetudine, qua Episcopus Andriensis nunquam omittere soleat functiones ibi designatas. Hoc tamen ad ceteras Ecclesias, quae Caeremoniali subesse debent, non est applicandum, multo minus ad Ecclesiam cathedralem Nicoterensem, super qua, sicut innuit Episcopus in primo suo dubio huic S. Congregationi proposito, declarat praescindendum esse a quavis consuetudine: „An praecisa consuetudine etc.“

11. Quapropter cum praeter allatum decretum, quod ad rem non facere

demonstratum est, nulla alia ratio exhibeatur pro admittenda inter dies episcopalium functionum tam commemoratione omnium fidelium defunctorum quam feria sexta in Parasceve, ita ut in casu impedimenti ad primam dignitatem vices facere competat; potius ob adductas rationes Episcoporum Caeremoniali conformes, ab hujus S. Congregationis legibus depromptas et almae urbis exemplis firmatas, praedicti duo dies ab illorum numero expungendi sunt.

12. Hinc est quod propositis dubiis respondendum putarem. „Ad primum: Negative; ad secundum: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.“

13. Haec quidem sunt, quae pro demandato mihi munere super propositis dubiis observanda putavi. Nunc autem vobis, Emmi Patres, spectat, ut iudicium pro sapientia vestra feratis. S. R. C. rescripsit: *In voto consultoris.*

Die 11. Augusti 1860.

(Anal. J. P. 1861 p. 217.)

### IN SOLIO PONTIFICIO ASSISTENTES.

Cf.: *Assist. in Solio etc.* Vd.: *Constitut. Julii III.* diei 6. Apr. 1551 in Bull. r. t. I. p. 800.; *Constitut. Greg. XV.* diei 17. Aug. 1622. (Ibid. t. III. p. 464.)

### SORTILEGIUM.

SS. D. N. sollicite animadvertens, quam grave sit delictum illorum perditorum hominum, qui ss. missae Sacrificio ac salutaris poenitentiae Sacramento ad animarum reparationem a Christo dom. institutis in illarum perniciem et damnationem abutuntur, decrevit, quod in posterum sacerdotes tam saec. quam reg. cujuscunque Ordinis, Instituti, Congr. et Societatis etiam de necessitate exprimendae vel in actu sacramentalis confessionis sive illius occasione aut praetextu ad turpia

sollicitantes vel sacrificio missae abutentes ad sortilegia praeter poenas a jure et ap. constitutionibus ac signanter s. m. Sixti V. et Gregorii XV. contra eosdem inflictas perpetuam etiam inhabilitatem incurrant ad praefati sacrificii celebrationem.

*Decret. s. univ. Inquis. Bened. XIV. affirmante die 5. Aug. 1745.*

(Bull. r. t. XVI. p. 281.)

### SPECTACULA.

Vd.: Repraesentationes etc.; *Theatrum.*

### S. SPINEA CORONA D. N.

#### 1) Officium et Veneratio.

Vd.: *SS. Philippus et Jacobus; Processio SS. Corp. Christi;* (quae res etc.); *Officium* quinque vuln. Chr.

*Ad dub.:* An consuetudo exponendi fer. VI. in Parasc. s. spinam D. N. ante missam Praesantific. et consumptionem SSmi sit retinenda, seu potius s. reliqua post peractam missam et consumat. SSmi sit proponenda? S. C. resp.: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam. N. 4399 die 29. Julii 1780.

Non licuisse eligere in Patronas s. spinas coronae D. N. N. 2964 die 20. Septbr. 1681.

Licet proponere spinam D. N. ab immemorabili praesertim in Parasceve, capite scilicet aperto sub baldachino processionaliter propositam. N. 3700 ad 2 die 12. Julii 1704.

Spinae de corona Domini Jesu Chr. inter reliquias computantur et speciali nota et cultu dignae sunt. S. R. C. die 21. Jun. 1632 in *Conchen.*

Ut secunda ex sextis feriis mensis Martii celebrari possit officium pro-

prium cum missa SSmae spineae coronae D. N. Jesu Chr., uti concessum est pro dioecesi Venetiarum sub ritu dupl. maj., eo quod apud dioecesim Brixien. extat altera ex SSmis spinis et quia populus in istis feriis solemnem cultu ac animi affectu et praesertim cum laudabili frequenti accessu ad SSma Sacramenta poenitentiae et Eucharistiae recolit memoriam passionis D. N. Jesu Chr., S. eadem Congr. rescribendum censuit: „Citra approbationem identitatis reliquiae pro gratia officii et missae SSmae spineae coronae in secunda ex sextis feriis mensis Martii sub ritu dupl. maj., dummodo non occurrat officium ritus dupl. etiam min., quo casu officium spineae coronae transferatur in aliam feriam VI. Quadragesimae similiter non impeditam, et quatenus fieri non queat, ad primam diem non impeditam, juxta rubricas. Et ita declaravit et servari mandavit.“ N. 4500 ad 1 die 20. Septbr. 1806.

SS. benigne concessit omnibus foederatae Americae septemtrion. dioecibus sequentia officia singulis fer. VI. Quadrag. ad libitum recitanda sub ritu dupl. maj., nempe SSmae passionis D. N. Jesu Chr., spineae coronae, lanceae et clavorum, sacrorum V vulnerum, pretiosissimi sanguinis. Si autem in dictis diebus occurrat festum altioris ritus, quaeritur: an supramemorata officia transferri possint ad primas dies non impeditas intra Quadrag. tantum?

Emus itaque ac Rmus D. Card. Carolus Maria Pedicini Ep. Portuen. . . rescribi mandavit:

„Affirmative et intra Quadrag. tantum.“

N. 4928 ad 6 sine dato. (Esse videtur dies 22. Maii 1841.)

## Pius PP. VIII.

*Dilecto filio Fr. Xav. Praesb. Card. Castiglioni Cathedralis Caesenatensis Praesuli et Canonicis ejusdem Cath.*

Quum urbem istam, in qua divina providentia ita disponente lucem adspeximus, paterna prorsus charitate prosequimur, tum potissimum Cathedralium ejus urbis Ecclesiam, in qua etiam salutari lavacro Nos ipsos regenerari contigit, praecipuo quodam amore studioque complectimur. Hujus autem benevolentiae Nostrae pignus aliquod utrique praebere volentes sacrum ei munus, insigne illud quidem sanctissimaeque religionis Nostrae monumentum destinavimus. Mittimus itaque ad vos sacram spinam de corona D. N. Jesu Christi ex authenticis locis desumptam, quam reverenter collocari fecimus in theca seu reliquiario aureo affabre elaborato altitudinis circiter palmi unius, in anteriori parte referente instrumenta passionis D. N. Jesu Christi crystallo ovalis figurae munito, in posteriori parte vero filo serico coloris rubri colligato ac pontificii sigilli Nostri impressione in cera Hispanica rubra obsignato: insignem hanc reliquam in vestra Cathedrali Ecclesia reverenter asservari volumus publicae fidelium venerationi statis diebus, quos infra declarabimus, exponendam. Ad augendam autem eorundem fidelium erga sacrum hoc pignus ac memoriam passionis Dominicae devotionem atque spiritualem utilitatem, hac etiam ratione promovendam, omnibus utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus ac confessis et sacra communione refectis, qui praedictam sacram reliquam diebus, in quibus publice exposita manebit, nempe prima feria sexta mensis Martii, feria sexta in Parasceve, necnon in festis Inventionis et Exaltationis sanctae crucis singulis annis devote

visitaverint et ibi pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, s. Matris Ecclesiae exaltatione et juxta mentem Nostram pias ad Deum preces effuderint, quo die praedictorum id egerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino perpetuo concedimus.

Insuper singulis feriis sextis quadragesimae eisdem christifidelibus vere etiam poenitentibus ac sacra communione refectis, qui ecclesiam Cathedralium praedictam, in qua sacra illa reliqua asservabitur, quamquam publice illis diebus exposita non sit, devote visitaverint et ut supra oraverint, qua feria praedictarum pariter id egerint, septem annos et totidem quadragesimas de injunctis eis seu alias quomodolibet debitis poenitentibus in forma Ecclesiae consueta relaxamus. Quas omnes et singulas indulgentias, peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes etiam animabus christifidelium, quae Deo in charitate conjunctae ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicari posse misericorditer etiam in Domino indulgemus.

Concedimus denique ut a Cathedrali ecclesiae clero in *secunda ex sextis feriis mensis Martii*, quae semper in quadragesimale tempus incidit, nec a festis Annunciationis beatae Mariae virginis aut s. Josephi impediri potest, officium et missa de spinea corona prout in fine missalis et breviarii Romani habentur, sub *ritu duplici secundae classis* perpetuo celebrari possint, in contrarium non obstantibus quibuscunque.

Datum Romae apud sanctam Mariam majorem die 26. Februarii 1819.

(Bull. r. Cont. t. XV. p. 179.)

## 2) Utrum in Patronam eligi possit?

Celsonen.

Ad instantiam factam pro parte Rectoris et Canonicorum Ecclesiae parochialis et universitatis castri de Tarraga dioecesis Celsonen. supplicantium pro concessione facultatis, ut festum Coronae Domini celebretur de praecepto in dicto loco et districtu sub ritu duplici majori et cum octava, attento quod duae spinae Coronae Domini, quae in praedicta ecclesia asservantur, electae fuerint in patronas. Et S. R. C., referente Emmo Cardinali Albitio, respondit: Videatur inter Dominos consultores Theologos, an Spinae Domini eligi possint in patronas et Congregatio fiat coram Emmo Ludovisio et Rmus Episcopus promotor fidei scribat. Die 7. Junii 1681.

(Anal. J. P. 1865 p. 1234 n. 2165.)

Celsonen.

S. Rituum Congregatio declaravit, non licuisse eligere in patronas sacras Spinas Coronae Domini Nostri Jesu Christi et ideo mandavit scribi Episcopo Celsonen., qui declaret nullitatem electionis factae ab universitate castri Tarragae Celsonen. dioecesis et certior de executione. Die 20. Septembris 1681.

*Ibid.* p. 1237 n. 2173.

## 3) Reliquia insignis.

Vd.: *Reliquia insignis* (quae est?)

Conchen.

Circa dubium: an Spinae D. N. Jesu Christi comprehendantur inter reliquias insignes? ad relationem Emmi Spinulae S. Rituum Congregatio censuit: esse reliquam insignem et dignam speciali nota et veneratione, facto verbo cum SSmo. Qui SSmus approbavit constituto, quod Spinae sint de Corona D. N. Die 21. Junii 1632.

(Anal. J. P. 1863 p. 2421.)

## SPONSALITIUM B. V. M.

Hispaniarum.

Hispaniarum regis Orator SSmo supplicem libellum praesentavit, quo Sanctitati Suae supplicavit, ut in regnis et ditionibus catholici regis festum sponsaliti B. M. V. cum missa et officio propriis celebrari posse indulgere dignaretur. Cumque SSmus libellum praedictum ad Congregationem transmississet, censuit ipsa, nihil concedendum esse et verbo: *lectum*, tantummodo respondendum fore. Die 27. Novembris 1655.

(Anal. J. P. 1863 p. 335.)

## SPONSI.

## 1) Benedictio.

*Ad dub.*: An PP. Carmelitae Aquen. possint benedicere sponso cum licentia Parochi vel sine?

S. C. C. resp.: Posse cum scientia tamen Parochi.

Die 5. Martii et 19. Maii 1708 ad 8.

Vd.: *Nuptiae*.; *Missa vot. pro Spons.*; *Bened. anuli nupt.*

Benedicendi sunt sponsus et sponsa, licet contractis sponsalibus per verba de futuro, antequam coram Parocho et testibus matrimonium contraxerint, et invicem se cognoverint. S. C. C. die 2. Octobris 1593.

Jus benedicendi sponso spectat private ad Parochos. S. C. C. die 3. Decembris 1718.

*De testibus in sponsalibus faciendis et interrogationibus* vd.: Bullam Clem. X. die 30. Augusti 1670. (Bull. r. t. VI. p. 313. Ed. Luxbg. 1727.)

## 2) Pax in missa eis estne danda?

*Ad dub.*: An in missa pro sponso et sponsa celebrata dari possit pax